



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Orationibus lacvlatoriis Libri IV. Ascetici, Seu ad exercitationem spectantes

Balinghem, Antoine de

Antverpiae, 1618

Cap. VII. Quibus externis rebus impediuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51085)

tis tum externis, tum internis breuiter dis-
feramus.

CAPVT VII.

Quibus externis rebus impediuntur.

IN præcipuis orationis impedimētis habet <sup>3. mo-
ral. c. 6.</sup> Gregorius, exteriores occupationes, ita enim ait quodā loco; Nequaquā mens ad superna attollitur, si curarū tumultibus continuè in intimis occupatur. Quid enim de Deo occupata obtineat, quæ de illo apprehendere aliquid, etiam vacans laborat.] Hæc Gregorius. Qui & negotiosos homines eos quidem qui oratione actiones suas non interrumpunt & quasi condiunt, piscibus confert, quos lex vetus, immundos neque ad cibum adhibendos pronuntiabat. Hinc per Moysen dicitur (verba sunt Gregorij) vt pisces qui pinnulas nō habent, non edantur. Pisces quippe qui habent pinnulas, saltus dare super aquas solent, soli ergo in electorum corpore quasi pisces transeunt, qui in eo quod in imis deseruiunt aliquando ad superna conscendere mentis saltibus sciunt, ne temper in profundis curarum lateant, & nulla eos amoris summi, quasi liberi aëris aura contineat.

Tradit deinceps quā ratione quis se in mediis

diis occupationibus gerat. qui ergo (inquam) rebus temporalibus occupantur, tunc bene exteriora disponunt, cum sollicitè ad interiora refugiunt: cum nequaquam foris perturbationum strepitus diligunt, sed apud semetipsum intus in tranquillitatis sinu requiescunt. Hos eosdem confert cum Iacob patriarcha de quo sacræ litteræ produnt eum in tentoriis habitare solitum. In tabernaculis enim (ait) aut in domo habitare, est se intra mentis secreta restringere, & nequaquam interius per desideria dissipare, ne dum ad multa foris inhiant, à semetipsis alienati cogitationibus recedant.]

3. Mor.

c. 7.

Gen 25.

Sed quanta sint harum occupationum damna, quamque officiant oranti, Bernardo quidem nemo melius exponit, in iis libris quos de consideratione ad Eugenium Pontificem summum. Vnde iam ergo incipiam? (sic enim orditur) libet ab occupationibus tuis, quia in his maximè condoleo tibi, condoleo dixerim si tamen doles & tu non quibus deliciis, dulcis quietis tuæ non longè ante hac fruebare, non potes dissuuisse tam citò, non potes ita subitò non dolere nuper subtractas. Inuitus (ni fallor) auelleris à Rachèlis tuæ amplexibus, & quoties id pati contigerit, toties dolor tuus renouetur necesse est. At quando non contingit? Quoties vis & incassum? quoties moues,

L. c. 1.

moyses, nec promques? quoties conaris & non datur vltia? eniteris & non obtines? parturis & non paris? tentas & absciperis? Et ^{Isai 38.} vbi incipis ibi deficis, & dum adhuc ordiris succidunt te. Venerunt filij vsque ad partum (ait Propheta) & vires non habet parturiens. Hactenus ille.

Quis hæc quæso non in se experitur occupationum effecta? Quoties ab iis interruptitur oratio? quoties intermititur? quoties & deseritur? Quàm grauis eam inter & occupationes lucta! Quoties vsu venit occupatis, vt cum vix dum pedem in orationis stadium, curriculumque intulerint, mox tamen ad eius calcem suspirant? sed quàm hic sit status periculi plenus, ab eodem Bernardo discamus.

Attrita inquit frontis es (affatur Pontificem, & nos in eius persona) & instar vitulae Ephraim doctus diligere trituram. Si (pace tuâ) sic se habent res tuæ. Absit: hæc est pars illius qui datus est in reprobum sensum. Ab his sanè cupio tibi pacem, non cum his, nihil plus metuo tibi pace istâ. Miraris si vniquam possit tibi accidere: Etiam dico tibi si res (vt assolet) per consuetudinem in incuriam venerit.

Hæc S. Bernardus, plurimaque alia in eandem sententiam lectu quàm dignissima. Paulò post Eugenium hortatur ne se à male-

maledictis hisce occupationibus (ita enim eas vocat) ita sinat abripi, vt cum pateat omnibus eius opera, eam quidem se ipse sibi vni deneget, totumque det actioni; considerationi, orationique nihil.

Ergo vt integra sit (inquit) & plena humanitas, colligat & te intra se, sinus qui omnes recipit. Alioquin, quid tibi prodest iuxta verbum Domini, si vniuersos lucent te vnum perdens? Quamobrem cum omnes

Psal. 77. nus. Quid solus fraudaris munere tui? Vt quequo vadens spiritus & non rediens? Vt quequo non recipis te, & ipse inter alios vice tuâ? sapientibus & insipientibus debitores, & soli negas te tibi? Stultus & sapiens, seruus & liber, diues & pauper, vir & femina, senex & iuuenis, clericus & laicus, iustus & impius, omnes pariter participant te, omnes de fonte publico bibunt pectore tuo; & tu seorsum sitiens stabis? si maledictus qui partem suam facit deteriorem, quid ille qui se penitus reddit expertem?

Proou. 5. sanè deriuentur aquæ tuæ in plateas, homines & iumenta & pecora bibant ex eis, quin & camelis pueri Abrahæ potum tribuas, sed inter cæteros bibe & tu de fonte

Ecl. 14 te patris tui: Alienus inquit, non bibat ex eo. Numquid tu alienus? cui non alienus si tibi es? denique qui sibi nequam

cui bonus? Hæc Bernardus grauissimè.

Cuius quidem oratio utinam omnibus, ac viris religiosis imprimis persuadeat, ut eâ moderatione mensuraq; exteriores obeant actiones, ut non ab iis teneantur, quin potius in eas ipsi imperium habeant. Atque iis expediri ad orationis possint quietem portumque confugere, quando ita res feret. Quæ verò de exterioribus dicta occupacionibus, multo maximè valent quando nimix sunt & supra vires tum corporis, tum animi. Vnicuique igitur expendendū maturè quid in eo genere possit, citra spiritualis profectus dispendium, illudque demum ei assumendum, cætera ut suis imparia humeris alijs concedenda. Scitè quidam hac nostrâ ætate. *Nulli plus filiorum quàm lactis, nec plus negotiorum quàm virium esse debere.* Quæ mulier pluribus quàm possit commodè filiis lac præbet, tum sibi tum illis ipsis nocet admodum; propriis quidem se viribus destituit corpusque macie conficit, illos autem alimenti inopiâ imbecillos, agroque esse corpore necesse est: sic quisquis, qui se negotiis limit, quibus ferendo nō est, prægrauari, eum quidem singula ex animi sui sententia conficere est impossibile: tum quod caput est, nullum ei relinquitur tempus ad vires orationis præsidio instaurandas, sed Beatum Iustinianum diuinè de hac eadem quæ-

G g stione

Sunt multi (inquit) qui spiritus leuitate permoti & inordinato feruore sub praeceptu caritatis seducti, aded in exterioribus occupationibus implicantur, vt de se nihil curare videantur. Diem quippe totum in his occupant, mentem dilaniant, corpus atterunt, & spiritualia studia negligunt, sola temporalia cogitantes. Istorum autem quale fuerit opus, exitus conprobabit. In diuinis namque legitur scripturis quod Moses cum ex Aegypto egressus esset, & absque interuallo causas populi occupatus audiret, à Iethro suo cognato admonitus est, quod stulto labore & ultra vires proprias desudaret, cum minora maioribus anteponeret, & plus debito in exterioribus se dilaret. Et quis Moyses sanctior? quisue feruentior? qui à Deo dux populi Israel electus est? qui super omnes homines, qui tunc morabantur in terra mitissimus? Qui causas populi ardentissimo caritatis zelo iudicabat? Vt audeat sine laesione persistere in eo, in quo sanctus Propheta perseverare non valuit? Audito namque gentilis viri consilio, prudenter restrinxit negotia proximorum, vt in iis quae Dei erant quietius suo vacaret tempore. Huius admonitione exempli erudimur operibus exterioribus, spiritualia deuotionum intermiscere exercitia, quatenus gustus eorum resumpta

Exodi
18.

I. de discipl. & perfect. monasticae conuers. c. 21.

viribus, & roboratâ mente, vtilius iucundisq; exteriora agamus. Ita Laurentius Iustinianus. Quo quid efficacius in hoc quidē genere & magis neruosum afferri possit, nō video; præsertim si quæ habet reliquo capite perlegantur, quæ quidem certè lectu sunt dignissima. Alterum quod hisce ad Deum aspirationibus nocet admodum, est scripturatio, litterarum maximè, rerumque nouarum & curiosarum atque à statu & dignitate spiritualis viri abhorrentium. Audi quid à Bernardo de hac ipsâ occupatione scribendi etiam facta, nobis traditū sit. Cū enim rogatus esset à Guilielmo Abbate Cluniacensi Apologiam conscribere, quâ se suosq; tueretur aduersus eos, qui Cluniacensibus illos monachis detrahere palàm prædicabant: principio se multis quidem excusat, tandem inuitus licet, cædit: additâ etiam hac graui testificatione. Scito tamen me nō modico huiusmodi scripturationibus feriri detrimento, quia multū hinc deuotionis subtrahitur, dum studium orationis intermittitur, præsertim cum nec vsus suppetat dictandi nec otium. Hæc Bernardus. Quid ad ea tu qui noctes diesque inutilia, inania, vana, futilia scriptitans, quæque nescire multò esset melius, existimas nihilominus te orandi spiritum, deuotionisque feruorem posse continere? Toto quidem erras caelo, nimia

Præfat.
in Apologiam
ad Guilielm.
Abbatē.

namque etiam de re sacra scriptio, teste Bernardo, orationis exercitationi inimicissima est.

Quid igitur sentiendum de prophano, de curioso, atque adeo noxio hominū, eorum studio, qui peruersā Atheniensium imitatione ad nihil aliud vacant (vt sacræ loquuntur litteræ) nisi aut dicere aut audire (addo ego & scribere) aliquid noui?

Astor.
17.21.

Collat.
19. c.6.

Tertium orationis impedimentū suggestit Cassianus his verbis. Prætermitto (inquit) illa quibus attonita anima, ac spiritualibus theoriis semper intēta specialius ingrauat, concursus scilicet fratrum, susceptionis quoque ac deductionis officia, mutuas visitationes diuersarumque confabulationū, atque occupationum interminabilem curam. Hęc Cassianus, quæ viris Deo sacris expendēda maximè: nihil enim tam aduersatur orationi quàm mutua visitationes, & non necessaria confabulationes, ad humana tantum ceptanda solatiola instituta. Iis enim tum deuotionis spiritus exhauritur, tum cor variat in partes distrahitur.

De passione
Domini
6.27.

Vnico D. Bernardi testimonio sine huius capiti imponam, sciunt (inquit) viri spirituales, qui hoc experti sunt, quantum auferat deuotionis, quantum afferat dissolutionis, intrinsecus frequens lingue resolutio. Nā licet fornax, cuius os semper apertum est, nō potest

rest in se retinere feruorem: sic nec cor deuotionis in se poterit gratiam conseruare, cuius os non fuerit ianuâ silentij reclusum. Claudamus igitur os nostrum, vt cum deuotionis feruore Christum deuotionis largitorem in feruenti affectu possimus cōseruare. Hæc Bernardus. Atque hæc de iis impedimentis orationis, quæ ab exteriori causa proficiscuntur.

C A P V T VIII.

De iis que ab interiore causa ortum habent.

P R I M V M se offert, peccatum, maximè si mortiferū sit & grauioris noxæ. Ita Gregorius ad illa Iobi verba. *Tunc leuare poteris faciem absque macula.* Faciem (inquit) leuare est in Deo animum per studium orationis atollere. Sed eleuatam faciem macula inquinat, si intendentem mentem reatus sui conscientia accusat, quia ab spei fiducia protinus frangitur, si intenta precibus, necdum deuictæ culpæ memoria mordetur, diffidit namque accipere se posse quod appetit, quæ profectò reminiscitur, nolle se adhuc qui de facere quod audiuit. Hæc Gregorius. cuius sensu, peccatum oranti impedimento est, quod ei spem fiduciamque, sine qua similis est fluctui maris, qui à vento circumfertur, vel eripit, vel infirmiorefficit.

Gg. 3. Præ-